

1.2.10

Idem AA. Florentio pp.

Iubemus nullam

navem ultra duorum millium modiorum capacem ante
felicem embolam vel publicarum specierum transvectionem
aut privilegio dignitatis aut religionis intuitu
aut praerogativa personae publicis utilitatibus
excusari posse subtractam: nec si caeleste contra
proferatur oraculum, sive adnotatio sit sive divina
pragmatica, providentissimae legis regulas expugnare
debebit.

1 ¶ Quod etiam in omnibus causis cupimus
observari, ut generaliter, si quid eiusmodi contra ius
vel utilitatem publicam in quolibet negotio proferatur,
non valeat. quidquid enim in fraudem istius
legis quolibet modo fuerit attemptatum, id navigii
quod excusatur publicatione corrigimus.

D. VIII id. April. Constantinopoli Theodosio A. XVII et Festo cons. [a. 439]

1.2.11

Idem AA. ad Taurum pp.

Neminem angariis

vel parangariis vel plaustris vel quolibet munere excusari
praecipimus, cum ad felicissimam expeditionem
numinis nostri omnium provincialium per loca,
qua iter arripimus, debeant nobis ministeria exhiberi,
licet ad sacrosanctas ecclesias possessiones pertineant.

D. XIII k. Mart. Constantinopoli Valentiniano A. VI et Nomo cons. [a. 445]